





5 + 6/2006

IDIBVS DECEMBRIBVS

MMVI



RVMOR VARIVS



TOMVS 28

FASC. 161

## IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA HELVETICA, in aedibus, quibus nomen EDITIONS ECLECTICA est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CC

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	CHF	30.-
In ceteris terris	CHF	37.-

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. W. F. Ebel (AMICUS)  
Estelle (Stella) Gitta  
Martinus Meier  
Daniel Weissmann

Praeses honoris causa:

Ulrich (Udalricus) Aeschlimann, lic. phil. I

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Estelle Gitta

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam: RVMOR VARIVS,

C/o EDITIONS ECLECTICA Estelle Gitta  
Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex  
E-mail: [e.gitta@bluewin.ch](mailto:e.gitta@bluewin.ch)

[www.aeschlicity.ch/rumor\\_varius](http://www.aeschlicity.ch/rumor_varius)

Institutum pecuniarium — Bankverbindung/institut bancaire:

Banque Cantonale de Genève, Quai de l'Île 17 — C. p. 2251 — 1211 Genève 2

Estelle Gitta, Societas Latina Helvetica,

Compte Z 3281.88.11 IBAN: CH18 0078 8000 Z328 1881 1 SWIFT: BCGECHGXXX

## IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA HELVETICA, bei den EDITIONS ECLECTICA herausgegeben. RVMOR VARIVS est publié par la SOCIETAS LATINA HELVETICA aux EDITIONS ECLECTICA

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich/paraît 6 fois par an

Auflage/tirage: 200

Abonnementspreise/prix de l'abonnement (jährlich/annuel)

Schweiz/Suisse	CHF	30.-
Ausland/Etranger	CHF	37.-

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich  
Des spécimens peuvent être obtenus gratuitement

Redaktionsteam/équipe rédactionnelle:

Dr. W. F. Ebel  
Estelle Gitta  
Martin Meier  
Daniel Weissmann

Praeses honoris causa: Ulrich Aeschlimann

Grafik und Layout/graphisme et layout:  
Estelle Gitta

Druck/impression: Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse/adresse de la maison d'édition  
RVMOR VARIVS,  
c/o EDITIONS ECLECTICA, Estelle Gitta  
Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex  
E-mail: [e.gitta@bluewin.ch](mailto:e.gitta@bluewin.ch)  
[www.aeschlicity.ch/rumor\\_varius](http://www.aeschlicity.ch/rumor_varius)

# PRÆFATIO



Amicae et amici nostri!

Multae et variae symbolae de argumento 'De rerum natura' nobis missae sunt, ut eis et nonnullis carminibus Nataliciis usi hunc libellum complere possemus et cetera opuscula vestra ad alias res pertinentia in posterum libellum differre cogemur. Certe ea quoque mox edentur! Maximas gratias omnibus scribentibus!



Mense Iulio huius anni in domum Udalrici Aeschlimann, RUMORIS VARIII patris et conditoris, in vico nomine Elgg convenimus et archivum, quod nunc Genavam in domum Editionis Eclecticae translatum est, scrutati sumus. (Imago photographica ab Udalrico facta Stellam et Danielem in laborando monstrat). Mox enim RUMORIS VARIII tricesimus dies natalis erit: Mense Februario anno 1978 primum editus est. Ad hunc diem sollemnem nobis proposuimus omnes libellos adhuc editos in interreti exponere. Hoc magnum opus nobis nunc susceptum anno 2008 ad tempus finitum iri speramus.

Hoc anno primum nos donatores quaerere pronuntiavimus. Preces non frustra erant: Maximas gratias agimus his 'Maecenatibus', qui pecuniam auctam solventes RUMOREM VARIUM adiuti sunt:

Andrea Alfare, Rheinfelden  
Prof. Dr. Peter Bosshard, Winterthur  
Paul Lauber, Oberhofen  
Alexandra Lehmann-Frey, Oberkirch  
Herbert Maissen, Zürich  
Gregor Muischneek, Spiegel b. Bern  
Christiano Musso, Winterthur

Wilhelm Oeschger, Wettingen  
Ursula Schwenk, Wettingen  
Laszlo Siklosi, Zuchwil  
Gaston Thalman, Thun  
Boris Wagner-Peterson, D-Böhl-Iggelheim  
Hans Willi, Luzern  
Dr. Beat Zehnder, Aarau

Etiam eventum tristem referre debemus: Die 8. mensis Aprilis huius anni in vico Ticinensi nomine Minusio socia nostra Barbara Maier 71 annos nata defuncta est. Iam antea symbolis RUMORI VARIO compositis Barbara anno 1987 in collegium redactorum accepta est. Per multos annos nos et lectores variis scriptis valde iucundis, inter quae etiam fabulis discipulis suis compositis, delectabat et porro delectare in animo habebat. Fata, imprimis Atropos, aliter decreverunt. Sociae dilectae in libello proximo memores erimus.



Laeta vobis sollemnia  
Natalicia sint, sit annus  
novus felix!



Valete!

D. Weissmann

Daniel Weissmann

## Errata

in RV fasciculo	in pagina	falso impressum est	forma recta imprimi debuit
1 / 2006	11, l. 1	Pythagora	Pythagorae
3 / 2006	51, l. 8	telluris	tellure
4 / 2006	92, l. 1	RV 5+6/06	RV 5+6/05



Nicolaus Gross

## Cur discos compactos...

Haud scio an quaeras, quomodo mihi in mentem venerit haec res aliquatenus insolita, curnam praebeam discos textuales et libros linguae antiquae interpretandae, quam multi homines per errorem putent esse emortuam. Itaque permittas, quaeso, ut tibi breviter referam, usque nunc quibus rebus studuerim noscendis et docendis provinciam linguae litteraturaeque Latinae perlustrans.

Alumnus Universitatis Saraviensis studii philologiae Latinae, biologiae, phoneticae, indogermanisticae pernoscendis; anno autem 1987 dissertatione philologiae Latinae perscripta ad doctoris gradum promotus sum.

Ab anno 1981 usque ad annum 1989 in Sede operarum Neolatinis (cui praefuerunt Professor Dr. Christianus Helfer et Pater Dr. Caelestis Eichenseer) moderatus sum Colloquio Latino habendo, Seminario, in quo disputabatur de Latinis auctoribus aetatis humanisticae et posthumanisticae, velut de Petrarca, Erasmo, Moro, Copernico, Bacono, Campanella, Cardano, Hobbesio. Praeterea adiuvum Professorem Helfer tres editiones Lexici Auxiliaris Germanico-Latini curantem.

A. 1994-2002 in Coreana Universitate Seulensi Nationali curavi, ut candidatos promotionis doctoralis imbuerem methodis philologiae classicae praecipuis. Seminarium enim habui philologiae Latinae, quod spectavit ad Ciceronem, Plautum, Terentium, Lucretium, Vergilium, Manilium, Tacitum, Senecam, Augustinum, necnon ad Abelardum, Petrarcam, Erasmum. Qua in institutione cum studentibus colloquebar lingua Latina.

His viginti annis in periodicis commentariis Latinis (quales sunt Ephemeris, Latinitas, Lupa, M.A.S., Melissa, Retiarius, Rumor Varius, Vox Latina) publici iuris feci numerosas symbolas Latinas. Nicolaus Gross

Historia cultus civilis

DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO


Relatio latina, quam scripsit Nicolaus Groß.

Quis fuit Sanctus Nicolaus? Quis est Vir Natalicius qualemque rationem unus habet ad alterum? Quomodo exorti sunt mores ad Nicolaum pertinentes (mos impositivus, mos deversorius)? Quis est servus Rupertus? Talibus aliisque quaestionibus, quae spectant ad mores Nicolai, hoc in disco textuali respondetur Latine - sermone simplici, additis multis picturis Nicolai versicoloribus.

Hic discus compactus est cimelium pulcherrimum, quod in diem Nicolai aut in Natale Domini dono detur omnibus linguae Latinae amatoribus.

www.leolatinus.com

CD 22 paginae, datotheca pdf / ISBN 3-938905-10-7/pretium12,00 Euro





## NATALICIA CELLENSIA

Paulus Burkhard, musicae compositor Helvetius celeberrimus, praeter multa alia opera anno 1961° ludum creavit praesepi-alem, quem „Natalicia Cellensia“ nuncupavit propterea, quod Cellae (vulgo: Zell) in valle Tossae (vulgo: Töss) fluminis primum actus est. Ex eo tempore plurimis in locis Helvetiae iterum iterumque hae partes scaenicae actae sunt gaudentibus et liberis agentibus et adultis spectantibus. Innotuerunt imprimis carmina, quae non modo intra ludum ipsum, sed etiam extra usque ad diem hodiernum cani non desita sunt.

Quorum carminum originaliter Theodisce more Turicensi compositorum – eorundemque cantabilium – in linguam Latinam transverti tria notissima, quibus omnium terrarum Latinistae delectarentur. Textus originalis adiungitur, ut lectores benevoli Turicensiter scientes inter originem copiamque comparare possint.



### 1. De astro Bethlehemico

Hoc astrum Bethlehemicum, quod sequi est officium!	Das isch de Schtärn vo Bethlehem. Mached eu uuf und folged däm!
Est astrum splendidissimum, venite, omnes gentium, venite, omnes gentium!	Es isch de allerschönschti Schtärn. Chömed, ihr Lüüt vo nah und färn, chömed, ihr Lüüt vo nah und färn!

Ad salvatorem ducit nos, ergo appropinquate vos!	Zum Heiland fühert de Schtärn eus hii, drum folged alli, gross und chlii!
Est miser in praesepio, rex fiet die aliquo, rex fiet die aliquo.	Er liit im Chripppli arm und bloss, aber er wird en König gross, aber er wird en König gross.

Habete astro gratias, quod sequi non est vanitas: Feret in caelum signa dans nos olim viam ostentans, nos olim viam ostentans.	Lobed und tanked eusem Schtärn, folged im nah und folged gärn! Eimal dänn winkt er eus und trät übere-n-eus i d' Ewigkeit, übere-n-eus i d' Ewigkeit.
--	---



### 2. Quae mater scit?

Quae mater scit, quid nato accidat?	Kei Muetter weiss, was irem Chind wird gscheh,
Quae mater scit, quid veniat?	Kei Muetter chann i d' Zuekumft gseh.
Infans num patiatu- r, ob eum ei invidetur? Quae mater scit, quid nato accidat?	Ob ihres Chind muess liide, oder ob mer's gar wird beniide? Kei Muetter weiss, was irem Chind wird gscheh.

Quae mater scit, quid nato accidat?	Kei Muetter weiss, was irem Chind wird gscheh,
Quae mater scit, quid veniat?	Kei Muetter chann i d' Zuekumft gseh.
Multa num nanciscatur, an pauper olim moriatur? Quae mater scit, quid nato accidat?	Wird ired Chind riich ärbe oder als arme Bättler schtärbe? Kei Muetter weiss, was irem Chind wird gscheh.

Quae mater scit, quid nato accidat?	Kei Muetter weiss, was irem Chind wird gscheh,
Quae mater scit, quid veniat?	Kei Muetter chann i d' Zuekumft gseh.
Num malum insequatur, an salvationem patiatu- r? Quae mater scit, quid nato accidat?	Dient er emal am Böse oder chann er eus all erlöse? Kei Muetter weiss, was irem Chind wird gscheh.

### 3. Qualis nox talis est !

Qualis nox talis est! Nobis saluti est, qua pauper dives fieri potest.	Was isch das für e Nacht! Hät eus de Heiland bbracht und us de-n-arme Mänsche riichi gmacht.
--	--

Iam accepistis vos?  
Deo detur honos!  
Noster salvator advenit ad nos.

Händ ihr das au vernoh?  
Lobed de Herrgott froh!  
Euse-n-Erlöser isch uf d' Ärde cho.

In agris omnia  
iam animalia  
magna et sentiunt miracula.

Im Fäld und uf der Au  
d' Tierli verwached au,  
gschpüüred das übergrossi Wunder  
gnau.

Talis nox sancta est!  
Nobis saluti est,  
qua pauper dives fieri potest.

Das isch di heilig Nacht!  
Hät eus de Heiland bbracht  
und us de-n-arme Mänsche riichi  
gmacht.

Bestiae  
domesticae  
gaudio iam captae sunt,  
angeli id audiunt.

Überall,  
i jedem Stall  
freued sich hüt alli Tier,  
d' Ängel ghöred's grad wie  
mir.



Liberi  
carissimi,  
en, sunt immo laeti asini!

Chömed gschwind,  
ihr liebe Chind,  
lueged, wie die Tierli z'fride sind!

*Ab integro repetuntur versus usque ad stropham quartam.*

Martinus Meier

## Nunc angelorum gloria

Nunc angelorum gloria  
hominibus resplenduit in mundo  
quam celebris victoria  
recolitur in corde laetabundo  
Novi partus gaudium  
virgo mater produxit  
et sol verus in tenebris illuxit.  
Huic sit memoria.



Quem pastores laudavere  
quibus angeli dixere  
absit vobis iam timere  
natus est rex gloriae.


Anonymus

## De rerum natura et eius praestantibus studiosis



Saeculo post Chr. n. decimo septimo magnus philosophus nomine Spinoza formulam «Deus sive natura» invenit atque naturam naturantem a natura naturata distinxit. Hoc principibus synagogae non placebat. Anno 1656 Spinoza ab eis excommunicatus est, multos per annos se occultare debebat et sub falso nomine aliena in regione vivebat.

Saeculo decimo octavo magnus scriptor nomine Rousseau malebat «in evangelio naturae legere, quae numquam mentitur, quam in illo, quod ab hominibus scriptum est, qui mentiuntur». Quod principibus ecclesiae minime placebat. Post annum 1762 (Aemilius vel de educatione) Rousseau ex urbe Lutetia Parisiorum fugere et in diversis regionibus velut Helvetia et Britannia se occultare debebat.



Sed iam multis annis ante Chr. n. Romae magnus quidam poeta nomine Lucretius libros sex De rerum natura composuerat. Ex quibus tantummodo hos mirabiles versus afferre velim: Hunc igitur terrorem animi tenebrasque necesse est / non radii solis neque lucida tela diei / discutiant, sed naturae species ratioque. Lucretium a principibus religionis antiquae propter hanc sententiam expulsum vel vexatum esse numquam audivi.

Diebus nostris naturae speciem maximi momenti esse vix quisquam negabit. Quin etiam homines naturam spectando et inspiciendo hominem ipsum partem illius naturae esse cognoverunt. Unde sequitur homines se ipsos destruere, cum avaritia vel luxuria incitati rerum naturam destruunt.



Peter Bosshard

## Scriserunt...

Hoc in ludo indiciis datis scriptorum nomina restitues. Idem numerus semper eidem litterae respondet.



A

*De natura deorum.*  
Archimedis sepulcrum repperit. Antonii iussu occisus, Romae in rostris caput eius positum est.

*De natura rerum.*  
Historicus, mathematicus circa annum 673 in provincia Northanimbrorum natus.



E

B) *De natura contrariorum; De natura et proprietate continuorum.* Sacrae theologiae magister. Etiam de iride et radialibus impressionibus (arc-en-ciel / Regenbogen) scripsit. Circa annum 1320 obiit.

*De natura locorum.*  
Episcopus Lincolniensis anno 1235 electus.



F



C

*Anti-(cf. K) sive de deo et natura.*  
Francogallicus poeta anno 1712 cardinalis factus.

*De rerum natura.*  
Circa annum 560 Cartagenae natus.



G

D) *De Deo, natura et arte.*  
Philosophus scholasticus Oxoniensis. Praeceptorem habuit Duns Scotum.

*De natura et origine animae; de natura loci; de natura boni.* "Doctor universalis", monachus ordinis fratrum praedicatorum circa annum 1195 Laugingae in Suevia natus.



H



I

*De natura verbi intellectus; de natura generis; de natura accidentium; de natura materiae; de natura luminis.*  
"Doctor angelicus".  
Magister eius erat (cf. H).



K

*De rerum natura.*  
Philosophus epicuraeus.

## Solutiones

ORFIDJ ZVILIVT ZVDRAM (A) MARCVS TVLIVS CICERO  
B) THEODORICVS DE VRBERG (Dietrich von Freiberg)  
C) MELCHIOR DE POLIGNAC  
D) GVALTERVS BVARLEVS (Walter Burley)  
E) BEDA VENERABILIS  
F) ROBERTVS GROSSETESTE  
G) ISIDORVS HISPALENSIS  
H) ALBERTVS MAGNVS  
I) THOMAS AQUINAS  
K) LVCRETIVS (CICERO)

Vide in speculum !

A B C D E F G H I

8	16							4
3	13							18
7	6			10			4	
1	9		11	6		17	3	
5	17		5	17	7	9	12	16
18	9		3	3	9	7	10	13
16	7	8	12	5	10	5	6	9
5	4	6	16	6	6	18	7	8
12	1	12	6	14	7	13	16	3
12	5	1	3	6	16	4	5	18
4	18	13	5	7	5	18	18	3
5	17	4	18	3	18	15	8	2
18	6	9	10	10	11	3	3	5
1	5	7	5	4	7	12	11	4
4	7	17	7	12	9	6	14	14
1	4	6	12	4	18	14	5	3
6	10	15	3	18	18	18	18	18
7	6	9	6		6	4		
9	7	12	5		16	18		
	11	4	18		6			
		11			18			
		14			16			
		3			6			
		1						

Estelle Gitta

## Ars longa - vita brevis?


Nonnulli homines de malignitate naturae queri solent, quod nimis brevem nobis vitam tribuat: tam velociter tempus decurrere, ut exceptis admodum paucis in ipso apparatu vitae morte opprimamur. Neque haec vulgi tantum est sententia, sed clari quoque viri similia gemuerunt. Quin

etiam Hippocrates, maximus medicorum, qui ipse plus octoginta annos vixit, exclamare dignatus est vitam brevem esse, longam artem; atque Aristoteles naturam ait iniquam animalibus satis superque aetatis dedisse, hominibus autem ad tot et tanta peragenda genitis multo propinquiorem imposuisse terminum vitae.

Haec fere pro summario cedunt eorum, quae L. Annaeus Seneca in dialogo suo de brevitate vitae disserere adortus praefatur. Ipse de ea longe aliter iudicat atque Hippocrates aut Aristoteles: talem cum natura litem viris sapientibus indignam refelli oportere.

In secundo capitulo dialogi: "Quid", inquit, "de rerum natura querimus? Illa benigne se gessit: vita, si uti scias, longa est. Alium insatiabilis tenet avaritia, alium in supervacuis laboribus operosa sedulitas; alius vino madet, alius inertia

torpet; alium defatigat ex alienis iudiciis suspensa semper ambitio, alium mercandi praecipua cupiditas circa omnes terras, omnia maria spe lucri ducit; quosdam torquet cupido militiae numquam non aut alienis periculis intentos aut suis anxios. Sunt quos ingratus superiorum cultus voluntaria servitute consumat; multos aut affectatio alienae formae aut suae cura detinuit; plerosque nihil certum sequentes



L. Annaeus Seneca

vaga et inconstans et sibi displicens levitas per nova consilia iactavit; quibusdam nihil, quo cursum derigant, placet, sed marcentis oscitantisque fata deprendunt, adeo ut, quod apud maximum poetarum more oraculi dictum est, verum esse non dubitem: *Exigua pars est vitae, qua vivimus.*"<sup>1</sup>

Censet igitur Seneca non accipere nos brevem vitam, sed facere; quae cum per luxum et negligentiam diffluerit, ultima demum necessitate cogente apparere nobis aetatem praeterisse. Sicut magnae et regiae opes malo domino commissae dissipentur, at quamvis modicae bono custodi traditae usu crescant, ita vitam humanam male agenti brevem, bene disponenti longam exsistere.



<sup>1</sup> A quo poeta compositus sit hic versiculus, parum constat. Sunt, qui eum Q. Ennio tribuentes ita in formam archaicam simulque in veriorum versum senarium mutare velint: *Exigua pars est vitae, qua vivimus.*

\* \* \*



Sine dubio admodum utilia Seneca disseruit - dummodo intellegamus iis nonnisi partem veritatis contineri. Paria fere ante eum Horatius poeta videtur cogitavisse dicens: "*Carpe diem!*" (Carm. 1, 11, 8). Haec verba tamen magis Epicureum habent colorem quam praecepta Annaeana.

Lis enim poeta amicae suae suadet, ut vita fruatur, dum fieri possit, "quam minimum credula postero" diei. Idem duo composuit carmina quae vocantur verna (Carm. 1, 4 et 4, 7). In priore eorum inter alia canit: "Vitae summa brevis spem nos vetat incohare longam" (1, 4, 15), et in posteriore versus reperiuntur, quorum haec est summa: omnia in circuitu naturae regulariter iterari, hominum autem unumquemque nonnisi semel vitam peragere (4, 7-18):

Immortalia ne speres, monet annus et alium  
quae rapit hora diem.

Frigora mitescunt Zephyris, ver proterit aestas  
interitura, simul

pomifer autumnus fruges effuderit, et mox  
bruma recurrit iners.  
Damna tamen celeres reparant caelestia lunae;  
nos, ubi decidimus,  
quo pater Aeneas, quo dives Tullus et Ancus,  
pulvis et umbra sumus.  
Quis scit an adiciant hodiernae crastina summae  
tempora di superi?

Utique nihil impedire, quin vita, quamvis brevis sit, perfruamur, etiam  
celeberrimae nobis persuadent mediaevales strophae, quas cives academi-  
mici cantare solent:

Gaudeamus igitur, iuvenes dum sumus.  
Post iucundam iuventutem.  
post molestam senectutem  
nos habebit humus.

Vita nostra brevis est, brevi finietur.  
Venit mors velociter,  
rapit nos atrociter;  
nemini parcetur.

Pereat tristitia, pereant osiores!  
Pereat Diabolus,  
quivis antiburschius,  
atque irrisores!




Ericus Palmén



## Albertini Magni verba de causa longioris vitae arborum

De eo autem, quod multo tempore contingit esse et durare arborum  
naturam, non comparatione facta ad animalia, sed in se ipsis oportet  
nunc aggredi dicere causam naturalem. Hanc autem causam arborum

sumemus ex eo, quod plantae habent proprium,  
quando ad animalia comparantur. Non enim  
contingit animalibus, sed solum plantis, nisi forte  
commune sit incisis animalibus, quae rugosa vel  
anulosa vocantur, ut saepe diximus.



Causa igitur, quam ex hoc proprie plantis  
convenire sumimus, est, quod ideo multo  
tempore plantae sunt inesse et vita duran-  
tes, quia sunt semper novae, ad quas  
iuventus earum redit, sicut diximus in libro  
de aetatibus. In plantis enim in omnibus  
partibus suis sunt continue alterae novae  
productiones, ita quod radix radicem et  
stipes stipitem et ramus producit ramum,  
et iterum radix stipitem et stipes radicem  
et utrumque horum ramos, et sic de aliis,  
ita quod semper novam exit de veteri. Et  
ideo non senescunt. Rami autem planta-  
rum in hac virtute radicibus similes sunt, eo quod vis et natura pullulati-  
va est in eis et in radice et in stipite et in ramis. Non autem simul fiunt  
huiusmodi productiones novorum, sed successive uno senescente alterum  
productum pullulat ex illa, et sic successive se planta totam renovat,  
et totam adiicit vetustatem. Cum enim productio est per pullulationem,  
tunc rami novi primo producuntur, et cum isti senescunt, alteri germi-  
nant renovati ex ipsis. Cum autem sic faciunt et generant sibi organa,  
tunc etiam novae radices fiunt pullutantes ex eo, quod est iam vetus. Et  
sic plantae semper proficiunt ad dies iuventutis earum: sed una pars  
vetus est tota et abiecta et arefacta tota; altera vero pullulans est, tota  
nova et iuvenis facta.

Et causa est similitudo corporis et naturae arborum, ut diximus in libro  
de aetate. Haec igitur est causa longioris vitae arborum multarum.  
Plantae enim quantum ad similitudinem corporis comparantur animalibus  
decisis, sicut dictum est. Illa enim actu decisa et divisa vivunt, et ex  
uno fiunt per divisionem vel duo vel multa, secundum quot partes facit



divisio ex eis. Et omnes partes vivunt et sentiunt et moventur secundum locum. Sed in hoc differentia est, quod anulosa similia decisa et divisa non perveniunt nisi ad hoc, quod vivere contingit partibus abscisis, et non salvantur inesse; multo enim tempore salvari non possunt in vita. Haec enim decisa in partibus divis, neque organa habent salvantia, ut os et cor et digestionem operantia; neque etiam principium vitae, quod est in ipsis, organa talia producere potest per pullulationem ex partibus decisis factam in unaquaque partium dividendum, sicut determinatum est in fine primi de anima. Sed decisio facta in planta potest producere organa salvantia ex qualibet parte propter maiorem arborum similitudinem, quam sit in corporibus animalium. Planta enim undique in suis partibus – potentia pullulationis – habet in se radicem et germen et granum seminale, ex quo pullulat. Et ideo ab hac virtute pullulandi provenit semper in qualibet parte unum novum ad aliud vetus. Et vetus quidem siccatur et cadit, novum autem viret et germinat et tenet vitam plantae. Et est quidem planta secundum totum eadem, secundum partes autem diversa.



De hoc tamen subtilius in libris de plantis disputatur, cui titulus est «De vegetabilibus» secundum Albertum Magnum (1200-1280). Eadem fere paulo brevius dicta sunt in Alberti de aetate sive de iuventute et senectute tract. II cap 1.



Excerpsit adaptavitque  
Stella Gitta



## DE URSI BRUNONIS FINE TRAGICO

d.05.m.lul. a.2006 (S. May)



De ursis nos non solemus legere nisi de illis, qui versantur in silvis Canadianis. Tamen ex huius anni mense Maio quidam ursus a diurnariis „Bruno“ vocatus migravit per regionem limitis Austriaco-Bavarici. At idem Bruno ex compluribus septimanis circumvagatus interim est mortuus. Bruno enim hora quarta minuta quinquagesima (4.50 h) prope Lacum *Spitzing* in Bavariae Superioris circulo *Miesbach* situm telis perfossus est trium venatorum.

Hubertus Weinzierl, praeses Germanicae unionis naturae tutandae, vehementissime luget finem ursi tragicum necnon vituperat, quod bestia est necata. „Haec“ inquit „est solutio problematis omnium stultissima“. Oportuisse Germanos agere animis quietioribus de primo urso immigrante. Aliis in terris ursos et homines convivere pacifice. „Sola in Germania de tali bestia sumitur supplicium capitale“.

Fieri potuisse, ut magistratus remunerarentur possessores ovium, quas Bruno dilaniasset, et aptis rationibus eundem e vicis fugarent. Porro Hubertus praeceptor naturae tutandae dixit sperandum esse Brunonis consanguineos Germaniam per magnas ambages vitaturos esse. Denique idem addidit famam magistratuum „Rei publicae liberae“ (Bavariae), qui libenter contenderent se esse naturae tutores optimos, Brunone necato per longum tempus esse obscuratam.

Adhuc incertum est, quis Brunonem necaverit. Sed constat hoc non factum esse a venatore professionali aut saltuario publicae silvae forestis Bavaricae. In illa regione esse etiam cynegesia (theod. Reviere communia vicorum propinquorum, in quibus venari solerent partim conductores venationis partim venatores profesionales.

Per complures septimanas magistratus frustra conati erant ursum Brunonem capere vivum. Ne Finno quidem venatori ursario bene famato contigerat, ut canibus specialiter condocefactis Brunonem cum sagivisset, circumveniret et caperet vivum. Itaque die Lunae concessum est, ut Bruno sclopetando necaretur. Die Saturni eandem bestiam a compluribus birotariis montanis adhuc conspectam esse Lacum Soim in circulo Miesbach situm pernatantem.

At finis huius ursi tragicus habet quosdam effectus ad homines. Unio venationis Bavarica et Varnerius Schnappauf Bavariae minister circumiectionum (qui est partis christiano-socialis) et Antonius Steixner consiliarius municipalis Tirolensis iam aliquot decurias acceperunt epistularum electronicarum, quibus inscripta sunt verba increpatoria et odiosa, immo minae homicidiales. Manfredus Wölfl, commissarius ab urso (orig. „Bärenbeauftragter“) dixit se, ne periclitarentur sclopetatores, neque pansurum esse, quis Brunonem necaverit neque, quo modo.

Fama fert corpus Brunonis nunc infartum iri, ut exhibeatur in museo. Non potest excogitari vitae ursinae finis tristior atque inhonestior.



*Bruno,  
te non oblivissemur!*

## Monumentum Brunonis ursi mirabilis

d. 06. m. Iul. a.2006



*Crux lignea Brunoni dedicata*

Amatores Brunonis bestiae rapacis non desinunt memoriam ursi insignissimi celebrare. In Pariete Rubro monte Alpium Bavaricorum, ubi idem ursus septimana praeterita erat sclopeto necatus, nonnulli homines ignoti collocaverunt crucifixum, cui inscriptum est nomen Brunonis, et crucem ligneam vela-

mento lugubri ornatam. Quod monumentum floribus et ursulo lusorio esse ornatum a diurnariis „Mercurii Monacensis“ refertur.

In Ebay domo auctionum interretiali ursus mortuus interim compluribus rubricis propriis celebratur. In memoriam Brunonis praebentur merces, quales sunt t-camisiae condolentiae et imagunculae mortuariae et vexilla Brunonis autocinetica. Andreas Lengen locutor die lovis dicit tales merces persaepe emi: „Multi homines“ inquit utuntur occasione, qua Brunonem honore afficiant ultimo“. Klaus Waschetzky, qui subhastat merces Brunonis memoriales, dixit se iam vendidisse 70 camisas, quibus inscripta essent verba „Bruno – qui vitam dedit pro libertate“. Necnon praebentur taeniae Brunonis amicales et vestigia brancarum Brunonis, quae dicuntur esse vera.

Biologi Musei historiae naturalis Vindobonensis a ministerio circumiectionum Bavarico dicuntur affirmavisse ursum mortuum revera esse illum, qui ex Italia venisset ibidemque nomine „JJ1“ appellatus esset. In comitiis provincialibus a socialistis interrogati magistratus ministeriales affirmaverunt hanc bestiam interfectam esse normis venatorum ethicis stricte observatis.

(N24.de, Netzeitung)

## Guntherum velle plastinare Brunonem

d. 28. m. Iun. a.2006



*'Bruno' ursus Bavariae  
unicus flebiliter necatus*

Guntherus de Hagens, famosus \*necurgus sive \*plastinator cadaverum, cupit cadaver Brunonis ursi nuper necati. Diurnarii actorum diurnorum, quae dicuntur „Bild“ rettulerunt Guntherum velle eandem bestiam monstrare in spectaculo suo dubiae famae, cui nomen est „Mundi corporum“. „Equidem volo Brunonem conservare in aeternum, demonstrare eius vim

muscularem eiusque skeleton“ idem plastinator subobscurus a diurnariis dicitur dixisse.

Porro Guntherus explanavit se non egere pelle ursina. “Corpus Brunonis si in laminas dissecuero, etiam demonstrabo canalem globuli sclopetarii ballisticum et pulmonem afflictum.” Ut grates referat pro cadavere tradito, idem plastinator a diurnariis refertur velle donare alicui organisationi bestias tutandi decem milia euronum.

## **Ursum possessionem esse Liberae Rei publicae Bavaricae**

At Varnerius Schnappauf Bavariae minister circumiectionum, qui est partis christiano-socialis (CSU), Brunonem tractare vult alio modo. Qui ursum Bavariae illustrissimum vult infercire conservandum et collocare in „Museo Hominis et naturae“. Cui consilio acriter adversatur Antonius Scherer, burgimagister vici Schliersee (qui nulli parti politicae est obnoxius). Idem burgimagister postulat, ut Bruno infertus collocetur in vico suo idemque ursus (cui nomen officiale est „JJ1“) fiat monumentum, quo manifestetur magistratus responsales inepte fecisse de urso, quem vocassent „problematicum“.

At magistratus ministerii circumiectionum Bavarici procul dubio affirmaverunt Brunonem collocatum iri in Monacensi Museo Hominis et Naturae, quae pertinet ad Castellum Nymphenburg. Cum ursus est possessio Liberae Rei publicae Bavaricae, verisimile est optatum illius Antonii burgimagistri non expletum iri.

Brunone necato multa iam sunt oblata indicia poenalia: non solum actoribus publicis Monacensibus, sed etiam aliis magistratibus accusationis. Rudolfus Hödl actor publicus superior dixit: “Indicia poenalia nobis offerri non desinunt – apud nos nunc sunt quindecim“. Quibus indiciis in ius vocantur Varnerius Schnappauf minister circumiectionum Bavariae (qui est partis christiano-socialis) et venatores, qui Brunonem sclopetando necaverunt.  
(N24.de, Netzeitung)

## **Tutores bestiarum ulcisci Brunonem**

### **Sedes venatorum praealtas esse destructas**

**d.05. m.Iulii a.2006**

De fine Brunonis ursi tragico tutores bestiarum sunt indignatissimi. Nonnulli eorum volunt Brunonis mortem ulcisci eo quod destruunt venatorum sedes praealtas.

Hannovera ex urbe – Ante septimanam Bruno „ursus problematicus“ prima luce telo venatoris fataliter transfossus mortuus est – ex eo tempore tutores bestiarum sunt indignatissimi. In Germania Septentrionali congregatio est facta nominis „Brunones ulciscetes“, ut propter „necationem nefastissimam“ animalis biennis punirent illos, qui in culpa esse sibi viderentur: venatores. Compluribus serris armati iidem tutores bestiarum pugnacissimi destruxerunt in urbis Hannoverae circumiectis nonnullas sedes venatorum praealtas. Deinde in interreti confessi sunt se hanc rem fecisse.

In epistula confessoria a coetu Hammaburgensi publicata, qui appellatur „Liberatores bestiarum“, nuntiatur decuria impetuum facta esse in sedes venatorum praealtas. „Brunones ulciscetes“ declaraverunt se esse ursi Brunonis commilitones et postulaverunt, ne usquam necarentur „animalia non-humana a venatoribus“. Quamquam iidem tutores bestiarum utuntur methodis sat asperis, non tantum progrediuntur, ut petant ipsam vitam venatorum. Nam dicunt se sedes praealtas serra semper tam vehementer tractare, ut totae invertantur (ne venatores, si detrimentum eosdem lateat, periclitentur sedem ascendentes).

Post mortem Brunonis ante septimanam factam ingens grando vituperiorum in magistratus iniecta est – immo minae factae sunt horribiles. Berolini manifestaverunt asseclae Brunonis sententia promulgata, quae est „Nos omnes sumus Bruno“ postulantes, ut venatio aboleretur. In magnis taeniis dilucidis legebantur verba quae sunt: „Omnes venatores sunt necatores Brunonis!“ Officiales ministerii circumiectionum Bavarici,

quorum mandatu ursus est telis perfoffus, acceperunt litteras aculeatas, quibus inerant minae homicidiales. Cooperatores ministerii nominibus indictis diurnarios „Mercurii Monacensis“ certiores fecerunt se accepisse telephonemata et epistulas electronicas minacissimas, quibus inessent verba „Te quidem cultro scarifabo!“ aut similia. „Quibus minis“ cooperatrix ministerii inquit, „impedior, ne dormiam“.

Contra has actiones irae atque ultionis horribiles magistratus Bavari et Austriaci iterum se defenderunt, quod ursum necaverant. Varnerius Schnappauf, Bavariae minister circumiectionum, postulavit, ut „mensurae rationis restituerentur“. Idem diurnariis „Actorum diurnorum Norimbergensium“ dixit tutores bestiarum eo, quod homicidio praemonendo minati essent venatoribus et magistratibus et politicis, fines vituperationis licitae transgressos esse. Cum omnes scientistae istunc ursum affirmavissent hominibus esse periculosum, necessarium fuisse, ut ad vitas hominum tutandas sclopeto necaretur. Similia dixit Franciscus Krösbacher, supervisor gubernii Tiroliensis supremus. Qui sclopetationem ursicidalem dixit esse actum defensionis necessarium. Forte fortuna tantum factum esse, ut nullus homo eodem urso affligeretur. Ursum se gesisse more insolito et periculoso.

*Has relationes d. 28. m. Iun., d.5. et 6. m. Iul. in periodicis „Netzeitung“ et „Der Spiegel“ inventas e Theodisco sermone in Latinum convertit Nicolaus Groß praeceptor Sedis interretialis domusque editoriae, quae appellatur LEO LATINUS: [www.leolatinus.com](http://www.leolatinus.com)*



## De ursis esurientibus cibum quaerentibus

Ante nonnullos annos in partibus quibusdam Americae Septentrionalis ursi fame incitati ad cibum quaerendum sine metu regiones ab hominibus habitatas petiverunt. Imprimis in Colorato (Colorado), Wyomingo (Wyoming) et Novo Mexico (New Mexico) civitatibus, praeterea in provinciis Canadensibus Alberta,

Ontario et Quebeco (Quebec) frequenter accidit, ut homines ursis occurrerent, qui dolia purgamentorum (1) rimabantur vel etiam in domibus res ad vescendum aptas quaerebant.



Experti praefecturae naturae protectionis (2) explicaverunt illo anno propter frigus longinquum alimenta naturalia ursorum periisse et siccitate sequente rem deteriore factam esse. Itaque nonnullos ursos fame confectos maximo studio ubique cibum quaesivisse et facillime ibi invenisse, ubi homines vivebant.

Quod in his regionibus antea paulum habitatis magis magisque homines considerunt, saepius evenit, ut fortuito in ursis iam diu ibi viventibus inciderent.

Sic Denverii (Denver) ursus per suburbium ambulabat, antequam a magistratibus praefecturae naturae protectionis (2) captus in loco remoto iterum in libertatem emissus est. Taenia magnetoscopica (3) huius excursionis ursi in multis nuntiis televisificis in tota America monstrabatur.



*Aliquid ad vescendum quaerens ursus niger Trinitate super saepem cauponae spectat.*

Ut se ad soporem hibernum praeparent, ursis cotidie 20000 fere caloriis opus est, et interdum continuo comedentes usque ad 20 horas agunt. In Colorato civitate 10000 vel 12000 ursi nigri vitam degebant. Numerus hominum ibi habitantium intra decem annos una circiter milione auctus est. Multi novi considerentes medias in sedes naturales ursorum penetraverunt. Itaque ibi et multitudo hominum et ursi esurientes vivebant, et serius vel ocius alios aliis occurrere necesse erat.



Ratoni (Raton) in Novo Mexico civitate uno hebdomadinis fine vigiles publici 35 telephonemata incolarum sollicitorum, qui ursos viderant, acceperunt. Incola quidam narravit quinque ursos in hortum suum venisse et armeniaca poma (4), pira, mala, prunaque de arboribus carpsisse.

Durangi (Durango) in Colorato civitate ursus domum intravit et ibi maizae grana tosta (5) devoravit. Populi (Pueblo) in Novo Mexico ursae in horreum magnum fabricae Pepsi Colae invadit et 15 litros syrupi ruborum idaeorum (6) potavit. Capta et alio loco in libertatem restituta est.



Trinitate (Trinidad), quae urbs in regione meridiana Denverii sita est, ursae una cum pullis suis in caupona apparuit. Mulier Trinitatem incolens narravit ursos omnibus fere noctibus per oppidum ambulare, dolia purgamentorum rimari (1) et poma de arboribus carpere.

Multi homines propter ursos frequentiores apparentes sollicitati erant. Sed statio televisifica Canadensis nomine CTV demonstravit saeculo praeterito tota in America Septentrionali minus quam tres duodecim homines incursionibus ursorum mortuos esse.



Natura ursi timidi sunt et homines vitant. Sed fame incitati eo eunt, ubi cibum inveniunt, et id facillime ibi fit, ubi homines vivunt. Qui si urso occurrentes se quiete habent neque eum laccessunt vel terrent, pericula non magna esse a zoologicis dicitur. Ursi homines non aggrediuntur nisi se vel pullos suos in periculis esse putant.

Occursus ursorum et hominum non tantum in America vel Canada evenire vere huius anni apparuit. Quis non memoria tenet illum ursum nomine Brunonem in Bavaria et Austria vagantem?

Non dubito, quin Bruno capi et aliam in regionem transportari potuisset, si magistratus plus patientiae et animi aequi adhibuissent. Non necesse erat Brunonem miserum sclopetando insidiosè necari. Utinam ne referciatur et in museo exhibeatur! Aliter venatores quoque, eius interfeciores, refarciri et in eodem museo exhiberi oporteat!

Daniel Weissmann

1) dolium purgamentorum

Mülltonne/poubelle/bidone della spazzatura/  
cubo de basura/dustbin

- |    |                                  |   |
|----|----------------------------------|---|
| 2) | praefectura naturae protectionis | Naturschutzbehörde/office de protection de la nature/ufficio per la tutela della natura/organismo para la protección de la naturaleza/office of nature conservation |
| 3) | taenia magnetoscopica            | Video-Band/bande vidéo/vidéotape/cinta de video/video tape  |
| 4) | armeniaceum pomum                | Aprikose/abricot/albicocca/albaricoque/apricot  |
| 5) | maizae grana tosta               | Popcorn/pop-corn/popcorn/las palomitas/popcorn  |
| 6) | rubum idaeum                     | Himbeere/framboise/lampone/frambuesa/raspberry  |

## «Auri sacra fames...»

Fames enim et cupiditas auri aliarumque rerum reddit homines cæcos. Atque impia ista pecuniarum cupiditas omnibus omni tempore et loco probro fuit et crimini. Quin etiam avaritiæ tantum dediti, quod eius servi essent, semper illiberales et sordidi sunt habiti. «Similiter auro et argen-



to, et gemmis expugnaverit aliquis pudicitiam mulierum, multorum fidem labefactarit, emerit iudicia, innumera scelera fecerit, iterum res fossiles in culpa non sunt, sed inflammatus atque ignitus furor hominum, vel animorum cæca et impia cupiditas», scripsit Gregorius Agricola (1494-1555).

Belli etiam causa res fossiles non sunt: ut enim cum unus aliquis tyrannus magno amore inflammatus in mulierem egregia forma, facit bellum oppidanis, istiusmodi belli in effrenata tyranni libidine est culpa, non in facie mulieris: Ita cum alius cæcus cupiditate auri et argenti bellum infert divitibus populis, metalla extra causam ponere debemus, et omnem culpam in avaritiam transferre. Nam furentes impetus et turpes actiones, quæ iura gentium et civium comminuere et violare solent, oriuntur ex nostris vitiis.

Maledicunt nonnulli auro et argento vocantque funestas et nefarias pestes humani generis, nam ea qui possident, maximo in periculo sunt, quos deficiunt, possessoribus



tendunt insidias, quamobrem utrisque sæpenumero causa interitus et exitii fuerunt. Insanit enim, qui pluris facit divitias quam virtutes. Insanit



etiam, qui easdem respuit ac pro nihilo ducit, cum liceat ipsis bene uti. Verum homo sine metallis non potest parare ea, quæ suppeditant ad victum et ad vestitum. Instrumenta rustica pleraque sunt ferrea. Piscator denique nonne hamo et verriculo

capit pisces in mari, in maritimis vivariis, in piscinis, in fluviis? At hamus ferreus est, et e verriculo interdum plumbeas aut ferreas massas appensas videmus, pisces autem capti plerique mox cultris et securibus in frusta secantur. Artifex panni aut textor num aliquod habet instrumentum non ferreum? vel ligneum sine ferro factum? iam sarcinatori discindendus pannus vel tela: num id sine cultro vel forfice faciet? num consuet ullam vestem sine acu? Ne populus quidem transmarinus pennarum contextu corporis tegumentum faciet sine iisdem instrumentis, nec pelliones ipsis carere possunt cuiuscumque generis animantium suant pelles. Et sutor indiget scalpri, quo scindat coriu: cultri, quo radat: subulæ, qua perforet, ut possit conficere calceos. Sed hæc tegumenta corporum vel texta vel suta sunt. Ædificia uero, quæ idem corpus tuentur ab imbris, ventis, frigore, calore, non extruuntur sine securi, serra, terebro. Sed quid pluribus verbis opus est?



Metallis ex usu hominum sublatis tollitur omnis ratio et tuendæ sustentandæque valetudinis et tenendi cursum vitæ cultioris. Etenim homines fœdissimam et miserrimam vitam degerent inter feras, ni metalla essent, redirent ad glandes atque silvestria poma et pruna: herbis et radicibus evulsis vescerentur, unguibus foderent speluncas, in quibus noctu iacerent, interdum in silvis et campis passim more bestiarum vagarentur, quæres quia hominis ratione, præstantissima et optima naturæ dote, prorsus est indigna, adeone quisquam erit stultus aut pertinax, ut metalla ad victum vestitumque necessaria esse, et ad vitam hominum tuendam pertinere, non concedat? Tum quia metallici plerumque fodiunt montes nihil frugum

ferentes, et valles tenebris circumfusas agris vastitatem exiguam aut nullam inferunt.

Tum demum Agricola: «At ego quidem non video causam cur ei quod naturaliter et per se bonum est, inter bona esse aliquid loci non debeat. Res fossiles e natura creat, et humano generi præbent multiplicem necessariumque usum, ut taceam de ornatu, qui cum utilitate mirifice congruit.»



Cum per naturam homini, iure vitæ felicioris ab optimo Creatore instructo, pœna quasi adflictionis aut mortis proposita, iniunctum sit, ut res sibi paret necessarias, non sine labore quærendas; maxime utique necessariam est, ut iure non tantum de facultatibus suis naturalibus, sed etiam de rebus labore partis pro arbitrio disponendi gaudeat, ita tamen, ut idem ius aliis quoque illæsum relinquere sit obligatus. Iura enim et obligationes mutuam habent inter se relationem atque iustitiam inter homines, etiam ante vitam sociale, pactis expressis fundatam adferunt necessariam. Pacta enim non alium ob finem accedunt, quam ut iura quisque sua tanto melius defendat inque debitos convertat usus. Non igitur pro lubitu pactiones iniri possunt, sed naturalis semper ordo servandus est, qui per impletionem omnium officiorum omnia societati iura illibata præstat, singulosque socios omnium, quæ aquiri possunt commodorum, reddit participes.

In statu naturali quisque iure gaudebat laboribus bona sibi parandi; sed, fructibus terræ spontaneis perceptis, nihil erat, quod ulterius acquiri posset. Cum vero multis homo desideriis licitis satisfacere debeat, necessum fuit, ut natura incitante atque impellente, culturam terræ artificiosam instituendo, statum suum perficeret, numerosæque alimenta quæreret familiæ. Cultura autem institui nequit, nisi terra antea purgando, sodiando atque arando præparata, ædificiis extractis, et qui plures fuerint sumptus præparatorii.

Quando igitur homo in certum terræ tractum laborem suum et paratas antea opes impendit: manifestum est dominium eo ipso esse adquisitum, atque adeo, non minus iniquum esse ac naturæ adversum, quam

his, antea nominatis, hominem privari iuribus. Hinc libertate quoque culturam pro arbitrio instituendi gaudeat necessum est, et pacta locationis, permutationis, venditionis ineundi, servatis utrinque iuribus, ex libero contractu derivandis.



Est autem moneta aurum vel argentum signatum, qua pretia emptibilium vendibiliumque rerum numerantur secundum cuiusvis reipublicae vel gubernantis ipsum institutum. Est ergo moneta tanquam mensura quaedam communis aestimationum. Oportet autem id quod mensura esse debet firmum semper ac statum servare modum. Alioquin necesse est confundi ordinationem reipublicae, ementes quoque et vendentes multipliciter defraudari, quemadmodum si ulna, modius, pondusve certam quantitatem non servet. «Hanc igitur mensuram aestimationem puto ipsius monetae, quae etsi in bonitate materiae fundetur, oportet tamen valorem ab estimatione discerni; potest enim pluris estimari moneta quam eius qua constat materia et e converso», scripsit Nicolaus Copernicus (1473-1543) in libro suo, cui titulus est «monetae cudendae ratio».

Causa vero constitutionis monetae necessaria est; quamvis enim solo pondere auri et argenti rerum commutatio fieri potuisset, ex quo communi hominum consensu aurum et argentum ubique in pretio habeatur, sed tamen propter multam incommoditatem afferendorum semper ponderum, quodque non statim auri et argenti sinceritas deprehendatur ab omnibus, institutum est publico sigillo monetam signari, quo significetur iustam auri vel argenti quantitatem inesse, et fides adhibeatur auctoritati.



Solet etiam monetae et maxime argentae aes commisceri propter duas - ut existimo - causas, videlicet quo minus exposita sit insidiis expilantium et conflantium ipsum, quod futurum esset, si ex sincero argento constaret. Secunda, quod massa argenti in minutas partes et scrupulos numerorum fracta retineat, cum aere admixto, convenientem magnitudinem: potest superaddi et tertia, ne scilicet continuo usu detrita citius pereat, sed fulcramento aeris diuturnior perseveret.


lusta autem et aequa monetae estimatio est, quando paulo minus auri vel argenti continet quam pro ipsa ematur: utpote quantum pro expensis dumtaxat monetariorum oportuerit deduci. Debet enim signum ipsi materiae aliquam addere dignitatem.

Vilescit haec ut plurimum propter nimiam multitudinem, utpote si tanta argenti copia in monetam transierit quoadusque argenti massa ab hominibus magis quam moneta desideretur: perit nempe hoc modo dignitas monetae, quando per ipsam tantum argenti non licet emere, quantum ipsa pecunia continet, sentiaturque maior profectus eliquando argentum in monetae destructionem, cuius remedium est non amplius monetam cudere donec se ipsam coaequaverit, reddaturque carior argento.



Valor quoque multis modis depravatur, vel propter defectum materiae solum, quando scilicet sub eodem pondere monetae plus quam oportet aeris commiscetur argento, vel propter defectum ponderis, quamvis iustam habeat aeris cum argento admixtionem: vel, quod pessimum est, propter utramque simul; deficit etiam ultro valor ac longo usu deteritur, propter quod solum instaurari ac innovari debet. Cuius signum est, si argentum in moneta in notabili quantitate minus reperitur quam pro ipsa emptum, in quo merito penuria monetae intelligitur.

Ecce Homo Oeconomicus!



Exaravit Stella Gitta

## De prima hominum origine secundum Marcius Censorinum



Anno 238 post J. Chr. n. Marcius Censorinum, grammaticus pilosophusque scientiam nostram de hominum origine breviter ita complexus est: «Quoniam aetas a die natali initium sumit suntque ante hunc diem multa, quae ad hominum pertinent

originem non alienum videtur de iis prius dicere, quae sunt natura priora. Igitur quae veteribus de origine humana fuerint opiniones, ex his quaedam breviter exponam. Prima et generalis quaestio inter antiquos sapientiae studiosos versata est, quod, cum constet homines singulos ex parentium seminibus procreatos successione prolis multa saecula propagare, alii semper homines fuisse nec umquam nisi ex hominibus natos adque eorum generi caput exordiumque nullum exitisse arbitrati sunt, alii vero fuisse tempus, cum homines non essent, et his ortum aliquem principiumque natura tributum. Sed prior illa sententia, qua semper humanum genus fuisse creditur, auctores habet Pythagoran Samium et Ocellum Lucanum et Archytan Tarentinum omnesque adeo Pythagoricos; sed et Plato Atheniensis et Xenocrates et Dicaearchus Messenius itemque antiquae Academiae philosophi non aliud videntur opinati; Aristoteles quoque Stagiritis et Theophrastus multique praeterea non ignobiles peripatetici idem scripserunt, eiusque rei exemplo dicunt, quod negant omnino posse reperiri, avesne ante an ova generata sint, cum et ovum sine ave et avis sine ovo gigni non possit, itaque et omnium, quae in sempiterno isto mundo semper fuerunt futuraeque sunt, aiunt principium fuisse nullum, sed orbem esse quendam generantium nascentiumque, in quo unius cuiusque geniti initium simul et finis esse videatur. Qui autem homines aliquos primigenios divinitus naturave factos crederent multi fuerunt, sed aliter adque aliter haec existimatione versari. Nam ut mittam, quod fabulares poetarum historiae ferunt, homines primos aut Promethei molli luto esse formatos aut Deucalionos Pyrrhaeque duris lapidibus enatos, quidam ex ipsis sapientiae professoribus nescio an magis monstruosas certe non minus incredibiles rationum suarum

proferunt opiniones. Anaximander Milesius videri sibi ex aqua terraque calefactis exortos esse sive pisces seu piscibus simillima animalia; in his homines concrevisse, fetusque ad pubertatem intus retentos, tunc demum ruptis illis viros mulieresque, qui iam se alere possent, processisse. Empedocles autem egregio suo carmine, quod eius modi esse praedicat Lucretius, *ut vix humana videatur stirpe creatus*, tale quiddam confirmat: primo membra singula ex terra quasi praegnate passim edita, deinde coisse et effecisse solidi hominis materiam igni simul et umori permixtam. Cetera quid necesse est persequi, quae non capiant similitudinem veritatis? Haec eadem opinio etiam in Parmenide Veliate fuit pauculis exceptis ab Empedocle dissensis. Democrito vero Abderitae ex aqua limoque primum visum esse homines procreatos. Nec longe secus Epicurus: is enim credidit limo calfacto uteros nescio quos radicibus terrae cohaerentes primum increvisse et infantibus ex se editis ingenitum lactis umorem natura ministrante praebuisse, quos ita educatos et adultos genus hominum propagasse. Zenon Citieus, stoicae sectae conditor, principium humano generi ex novo mundo constitutum putavit, primosque homines ex solo adminiculo divini ignis, id est di providentia, genitos. Denique etiam vulgo creditum est, ut plerique genealogiae auctores sunt, quarundam gentium, quae ex adventicia stirpe non sint, principes terrigenas esse, ut in Attica et Arcadia Thessaliaque, eosque autochthonas vocitari. In Italia, ut poeta cecinit, Nymphas indigenasque Faunos nemora quaedam tenuisse non difficile rudis antiquorum credulitas recepit. Nunc vero eo licentiae poeticae processit libido, ut vix auditu ferenda confingat: post hominum memoriam progeneratis iam gentibus et urbibus conditis homines e terra diversis modis editos, ut in Attica fertur regione Erichthonius ex Vulcani semine humo exortus, et in Colchide vel Boeotia consitis anguis dentibus armati spartoe, e quibus mutua caede inter se necatis pauci superasse traduntur, qui in conditu Thebarum Cadmo fuerint adiumento; nec non in agro Tarquiniensi puer dicitur divinitus exaratus nomine Tages, qui disciplinam cecinerit extispicii, quam lucumones tum Etruriae potentes exscripserunt.»



Haec excerptis Stella Gitta e libro M. Censorini cui titulus est «De die natali»




## Homo utrum homo sit an fiat

Inter philosophos, theologos, rei publicae studentes multosque alios acribus interdum verbis dimicatur, utrum homo a primo initio, i.e. a conceptu, sit homo an crescens in utero atque complura percurrens stadia fiat homo. Qui abortui eorum animantium, qui intra materna vivunt viscera, favent, negent necesse est embryonem esse hominem, quia, si non negarent, confiteri deberent abortum non aliud esse nisi homicidium. Qua de causa embryonem statum humanum obtinere negant, quo facilius abortum non defendere tantum, sed ius humanum esse praedicare possint.

Ericus autem Blechschmidt professor academicus gynaecologus embryologusque Germanus multos per annos vitam embryonum tam bene perscrutabatur, ut erroribus cunctis remotis demonstrare posset hominem in utero materno non fieri hominem, sed esse. Suis vero investigationibus confectis in universitate litterarum Gottingensi eximiam construxit exhibitionem, qua figuris fictis atque multo amplificatis demonstratur, qualis sit species hominis nondum nati per spatium novem mensium inter conceptum et nativitatem.



*Totaliter sexaginta quattuor figuris embryonum fictis supra depictis similibus constat exhibitio Blechschmidtiana. Quarum unaquaeque circiter septuaginta quinque centimetra alta est.*



*Die post conceptum quinto: Cellula ovarialis in seminata ovum unicamerarium facta est. Blastocytus - ita enim vocare solent homines embryologi eam - iam centum cellulis constat!*



*Die vicesimo sexto: Embryoni longitudo 2,57 millimetrorum est. Bene iam aures et oculi futuri nec non complura alia organa cerni possunt.*



*Die duodetricesimo: Embryo iam 4,2 millimetra longus est. Cor, iecur, arterias venasque animadvertere potes!*



*Septimana sexta ineunte: Embryoni iam septem millimetra longo brachia sunt, crura autem nondum creverunt.*



*Mense secundo exeunte: Hoc animal spectans quis dubitet, quin sit homo verus? Embryonis 17,5 millimetra longi facies, nares, oculi manus pedesque negari nequeunt!*

Erico Blechschmidt his omnibus bene cognitissimis persuasum erat, dum viveret, embryonem hominem esse verum et integrum neque ullam esse causam tales homines in utero occidendi.


Re vera interrogandum est, cur societas nostra Europaea, quae aliter semper semperque iura humana reclamant, infirmissimis omnium ius fundamentale, ius enim vivendi, constanter abroget. In Helvetia quotannis decem fere milia infantium nondum natorum interficiuntur causis interdum minimis. Quantam dementiam! Nam liberi, quibus nasci numquam licet, nobis omnibus mox deerunt!

Martinus Meier

## De Plutonis planetae gradus deminutione

Nuper Pragae, in capite Tzechia, coetus plenarius Coniunctionis Internationalis Astronomiae habitus est. Huic coetui 2500 fere astronomi ex 75 nationibus interfuerunt.

Ante hunc coetum communiter expectabatur familiam planetarum tribus novis sociis augeri. Putabatur enim haec tria corpora caelestia in numerum planetarum acceptum iri: Ceres, Charon et Xena.



Planetoides Ceres (9) solem in zona asteroidum inter Martem et Iovem circumit.

Charon adhuc luna Plutonis ducebatur. Xena est corpus caelestis ante tres annos ultra cursus Plutonis investigatum nomine 2003 UB313 (11). Ab eius inventoribus nomen Xenae accepit.

Xena, quae lunam habere interea apparuit, causa est, cur definitio scientifica nominis 'planeta' necessaria sit, quia propter technicam nostram aetate valde progredientem plus et plus corpora caelestia in regionibus externis systematis solaris investigantur.

Iam antea plures astronomi inventionem decimae planetae sibi vindicabant, sed Coniunctio Internationalis Astronomiae, cui ex anno 1919 ius de talibus rebus discernendi est, nondum alicui consenserat.


Adhuc nomen planetae tantum significabat haec corpora caelestia aliter ac stellae fixae in caelo conspicua moveri. Definitio exacta scientifica non existebat.

Mense Iulio huius anni Lutetiae Parisiorum conventus astronomorum, historicorum scriptorumque haec formula, quid sit planeta, statuit: Planeta est corpus caeleste, qui stellam circumit, sed neque luna neque ipsa stella est. Praeterea gravitationem planetae satis magnum esse oportet, ut eam in formam globosam fere comprimat.

Sed Pragae in coetu astronomorum res totaliter aliter evenit. Ceres, Charon Xenaque in numerum planetarum non accepta sunt, immo Pluto, investigatus anno 1930 et adhuc nonus planeta, ex familia planetarum expulsus est et in planetam nanam (vel planetinum) gradu deiectus est.

Astronomi Coniunctionis Internationalis Astronomiae vehementer discutabant et definitionem, quid sit planeta, iterum iterumque mutabant. Postremo definitionibus Lutetiae Parisiorum, quas supra commemoravi, tertium adiectum est: Praeterea planeta alia corpora a vicina sua regione cosmica amovet. Et id Plutoni non convenit, quia in zona Kuiper dicta una cum multis aliis corporibus caelestibus movetur. Itaque in futurum Pluto planeta nana est. Etiam Ceres et Xenia in numerum planetarum nanarum positae sunt. Comes Plutonis, Charon, non inter planetas acceptus est.

Secundum haec decreta igitur octo sunt planetae: Mercurius (1), Venus (2), Terra (3), Mars (4), Iupiter (5), Saturnus (6), Uranus (7) Neptunusque (8). Praeter eas planetas veras in futurum duo tantum genera corporum caelestium sunt: Et planetae nanae, velut Pluto (10), et parva corpora caelestia, velut asteroides, cometae et alia parva corpora.



Experti existimabant definitionem novam planetae necessariam fuisse propter multas novas inventiones in systemate solari.

Revera iam de fato Plutonis actum est? Multi sunt, qui a gradus deminutione Plutonis dissentiunt dicentes etiam Terram, Martem, Iovem Neptunumque a sua regione vicina cosmica non omnia corpora amovisse: In terrae orbita 10000 asteroides esse, et si Neptunus omnia corpora a sua regione vicina amovisset, Pluto noniam esset. Praeterea dicunt in suffragio de gradus diminutione Plutonis 424 tantum ex 2500 sociis coetus adfuisse. Nonnulli petitionem facere volunt, ut Plutoni status planetae restituatur. Videbimus.

Daniel Weissmann

## De vitae fundamentis electronicis



Argumenta scientiarum naturalium ad vitae fundamenta spectantium etiamnunc insoluta manent, quamquam multos aspectus a biologia, chemia et physica ad illam declarandam contulerunt; necnon scientiae «speculativae», in primis philosophia et theologia, vitam in suis systematibus intellegere cupiebant et protinus cupiunt.

Saeculum XIX a scientificis non falso aetas «electronica» vocatur, nam eo tempore homines ad mechinamenta communicativa aliaque construenda silicium (significatio chemica «Si») utebantur. Ortae sunt novae quaedam disciplinae scientificae, a quibus in Polonia eximie «bioelectronica» effloresce(ba)t.



L. C. Vincent

Verbum «bioelectronicae» (originaliter: *Bio-Electronique*) primum L. C. Vincent physicus Francogallus annis quinquagenis usus est ad electrochemicam mensuram diagnosticam; deinde annis sexagenis A. Szent-Györgyi chemicus Hungarus exemplum moventium electroniorum (electronium, -i, n.: Elektron) in processibus biochemicis viventium evolvit, sed illos (processus) finibus biochemicis inclusit. Proprium sensum bioelectronicae disciplinae Vladimirus Sedlak (1911–1993) biologus tamquam philosophus rerum naturalium Polonus iam sexagenis annis dedit systemate electronico in ordine biochemico et electromagnetico proposito.

Quid itaque sibi vult bioelectronica? – Principale eius officium est vitae naturam et eius habitum in organismo explicare. Omnis organismus una ex parte functionale systema biochemica, quod interim bene elaborata cognitaque est, altera autem bioelectronica, quod subtiles areas electromagneticas in materie organica exstantes in se comprehendit, se ostendit. Vita electronice intellecta est processus electromagneticus in spatiis intermolecularis collocatus, quae formam retis molecularis semiductorialis in albuminibus capit. In vita masa «biotica» secundas partes agit, primas autem conexus intermolecularis, qui electroniis, photoniis (i.e. quantiis sive parvissimis particulis physicalibus radiationis electromagneticae) et phononiis (i.e. quantiis in superficie nucleorum atomorum vibrantibus) insigniuntur. Itaque vita organica effectibus arearum electromagneticae subicitur. In ordine moleculari tantum energia (vis incitativa) «restat», i.e. area electrostatica una cum vibrantibus electronis; in illa dimensione materies qualitatem energeticam et vita – verisimile – electromagneticae praebet. Id dicit vitam esse debere quanticam qualitatem, quae in omni corpore organico diffusa manet. Vita molecularis quoque communicativo systemate indiget; spacia inter extremas particularum organicae exstantia, quae «bioplasma» nominatur, optima loca ad vitam nascendam et sustinendam esse videntur. Aliud fundamen bioplasmatis liberati electronii summam sumpti statuunt, quod indicat bioplasma esse chemielectronicum. Chemica vita,



A. Szent Györgyi

cum albis (albus 3.: *Eiweiß*-) semiductris (semiductrum, -i, n.: Halbleiter) exstet, processus electronicos in se continet. In processu metabolico (i.e. chemico) photonia semiductralia agunt albumina et eo fit, quod liberata electronia accelerantur et illorum energia cinetica et calor et massa effectiva augescuntur. Illa autem electronia suam energiam amittentia emittunt photonia, quae sua ex parte metabolismum stimulant. Ambo vitae aspectus quantiomechanice copulati subicuntur autoactioni, quae «plasmate calidum» efficit; organismus plasmate ad materiem vividam ordinandam indigetur atque ad processum metabolicum incipiendum sustinendumque velut ad communicationem electronicam in biosystemate. In eo quoque «informatio» electromagnetica conservatur duciturque. Copulationem amborum systematum – biochemici et bioelectronici V. Sedlak «vitae suturam quanticam» ducit. Sutura duorum ordinum quantiis lucis copulatur, qua re vita apparet lux in chemico-electromagnetico plasmate generata et simul quantum «vitae geni» (genum, -i, n.: Gen). Illud genum nequaquam «genotypum» quaendam in se gerit, sed directe in processu philogenetico vitam dat. Quantica copulatio vitae est itaque «bitactus» functionalis, a quo in stadio praeparationis processus electronicus incitatur, quem reactio chemica sequitur. Si energia quantii lucis sufficit ad reactionem chemicam exsolvendam, tunc fundamen vitae oriundae funditur. (Singula de hoc: V. Sedlak, *Progressus physicae vitae [Postepy fizyki zycia]*, Varsoviae 1984.) In contrario mors copulationem (sutura) illam rumpit. Tum autem actio vitae ad statum incitationis electronicae, emissionis photoniorum, generationis phononiorum reducitur, et ex materie organica fit unorganica. Itaque novum paradigma bioelectronicum ait: vitae naturae reactiones chemicas quantiomechanice cum processibus electronicis in albis semiductris (bioplasmate) copulati respicit. (Singula de hoc: V. Sedlak, *Bioelectronica [Bioelektronika]*, Varsoviae 1979.)

Theoria vitae electronicae suam echum in telluris evolutione iam tempore praegeologico, i.e. ante 20 miliardi annorum, incepto habet. Tunc temporis materies unorganica praecipue silicio exstabat. Vitae corroborandae subveniebat disruptio et reductio substantiarum silicidiosarum, quae energiam ad vitam (in statu nascendi) in progressu carbonico sustinendam necessariam exsolvebant. Ex eo paradigma silicii

evadit: silicium manet elementum essentielle tamquam praeparatorium in carbonico progressu. (Singula de hoc: V. Sedlak, *Gravitas silicii in biochemica vitae evolutione* [*Rola krzemu w ewolucji biochemicznej zycia*], Varsoviae 1967.)

Insuper theoria vitae in dimensionem anthropologiae philosophicae extenditur. V. Sedlak problemata scrutatur haec: impressio electronicae «informationis» in oscillatro cerebrali (mente, memoria, sim.), sui conscientia elctronica, mors electronica et eius consequentia pro vita aeterna, tempus existentielle, lux et vita humana, et sim. Summatim dicto: sui conscientia praebet condensationem energeticam et expositionem lucis, quae post mortem formam electromagneticorum quantiorum nulla massa praedictorum accipit. (Singula de hoc: idem, *Homo electronicus*, Varsoviae 1980; et *Vita est lux* [*zycie jest swiatlem*], Varsoviae 1985.)

Adalbertus M. Lodziensis

## De horologiis solariis

Sine dubio primi iam homines animadverterunt umbram arboris vel animalis vel alius rei die procedente et sole per caelum currente mutari. Verisimile est non unum hominum horologium solarium invenisse, sed variis in regionibus orbis terrarum homines cursum solis et umbras rerum observantes ex iis usum cepisse.

Horologium solarium autem primum instrumentum ad tempus metiendum fuit. Iam Sumeri horologiis solariis utebantur, quae umbram in tabula horaria gyratoria in solo iacente faciebant. Etiam in Babylonia, Aegypto, Sina (China), India et America Latina umbra in tabula horaria facta ad calculum temporis adhibebatur.

Testimonium pulchrum ex illa aetate papyrus est, quo duos amantes constituunt, quando convenient: "Si umbra tua 16 pedes longa est, Berenice, Amasis te ad olivetum exspectat." Tum proprii corporis umbra mensura utebantur, quia longitudini pedis certa proportio ad corporis magnitudinem est. Itaque indicium temporis universum magnitudine corporis neglecta fieri poterat.


Multi homines docti antiquorum saeculorum studebant, ut exactiora horologia solaria producerent. Maximos progressus astronomi fecerunt, cum eis contingeret, ut gnomonem una cum tabula horaria paribus intervallis (1) ad axem terrae accomodarent. Hoc horologium solarium aequinoctiale (vel aequatoriale) dictum omnibus anni temporibus valet, dispositio horarum in tabula indicatorum aequo inter se spatio ostenditur.

Aetatibus sequentibus homines horologiis solariis exactioribus faciendis semper studebant. In ecclesia cathedrali Argentorati (Strasbourg) magister Jean Baptiste Schwillgue oculum solarium constituendum curavit, cuius auxilio meridies verus ad 10 secundas exacte cognosci potuit.

Quamquam horologia solaria semper exactiora facta sunt, incommodum eis erat, quod tempus non monstrabant nisi sol in caelo apparebat. Inscriptio 'Sine sole sileo' saepe in horologiis veteribus invenitur. Itaque usus eorum ex anno 1800 fere minutus est. Tamen et nostra aetate, qua multis aliis instrumentis ad tempus metiendum utimur, imprimis ornamento sunt vel artificia amantes delectant.

Horologiorum solariorum haec tria genera sunt:


- Horologium solarium perpendiculararium:



Hoc genus saepe in regionibus meridianis, ubi sol frequens in caelo apparet, in parietibus adificiorum publicorum vel ecclesiarum invenitur. Gnomon ad polum septentrionalem caeli accomodatur. Quia paries non intervallis paribus (1) ad circum aequatorem stat, spatia linearum horas ostendentium non aequa sunt. Si paries non in meridiem spectat, constructiones et rationes difficiles adhiberi necesse est.


- Horologium solarium libratum:

Eius horologii tabula horaria ad librum disposita est. Minora horologia huius generis saepe in basi, maiora in solo ipso collocantur. Ratio tabulae horariae similis est ei, quae in horologiis perpendicularis adhibetur. Hic quoque spatia linearum horas indicantium inter se differunt.



● **Horologium solarium aequinoctiale (vel aequatoriale):**


Haec horologia toto in orbe terrarum horas fideliter indicunt. Tabula horaria gyratoria ad gradum latitudinis (2) accomodata inclinata est et intervallis paribus (1) ad circulum aequatorialem it. Gnomon umbram efficiens media in tabula horaria est et intervallis paribus (1) ad axem terrae accomodatur. Itaque hoc horologium solarium simulacrum parvum terrae est. Dispositio tabulae horariae facile fit: Lineae horas indicantes aequo spatio sunt.




Daniel Weissmann

- 1)paribus intervallis parallel  
2)gradus latitudinis Breitengrad

Exempla:




*Horologium solarium perpendiculararium Isaac(is)*



*Horologium cuius gnomon lux est. Horam ad minutas exactam indicat.*



*Horologium pastorale. Hora longitudine umbrae indicatur.*




*Sphaira Armillarıs: Simulacrum terrae et horologium solarium.*




*Horologium solarium anulare hemisphaerio septentrionali.*



*Horologium solarium perpendiculararium*




*Horologium solarium plicatile cum compasso.*



*Horologium forma tesserae: quinque genera horologiorum solarium continet.*

## De disco caelesti Nebrensi



Discus caelestis Nebrensis nomen cepit ab urbe Nebra prope Merseburgum sita, in regione Saxonia-Anhaltino Germaniae. Ante 3600 annos fere, id est in aetate aerea (1), circa annum 1600 a.Chr.n. ibi infossus esse videtur. Iterum inventus est anno 1999 p.Chr.n. apud Nebram.

Hic discus singularis veterrimum simulacrum caeli est, quod novimus. In disco ex aere consistente ponderis duo chiliogrammorum et magnitudinis 32 centimetrorum 32 puncta, orbis et luna falcata ex brattea aurea inveniuntur. Orbis lunam plenam vel solem exprimit, puncta aurea astra in caelo nocturno, falx lunam dimidiam crescentem. Accumulatio septem punctorum Pleiades monstrat. Quod sidus hominibus antiquorum cultuum maximi momenti erat ad tempus sementis et messis vel principium et finem temporis ad navigandum apti cognoscendum.

Cetera puncta aurea non ad certa sidera pertinere videntur. Posteriore tempore in margine dextra et sinistra disci duo arcus aurei additi sunt, qui horizontem significant. Auxilio horum arcuum, qui loca solis orientis et occidentis per anni cursum nostris gradibus latitudinis (2) monstrant, etiam tempus brumae, die 21 Decembri, et solstitii, die 21 Iunio, computando inveniri potest.

Praeterea hic discus horologium astronomicum est, ut astronomus Hamburgensis Rahlf Hansen et archaeologus Saxoniae-Anhaltini Harald Meller explicant. Auxilio documenti litteris cuneatis confecti Babylonici saeculi VII a.Chr.n. Rahlf Hansen legem mensium intercalarium invenit. Eo modo homines aetatis aerae (1) dua calendaria, annum solarium 365 dierum et annum lunarem 354 dierum, in congruentiam conducere poterant. Ad legem intercalariam adhibendam constellatio lunae falcaria et Pleiadum maximi momenti est.

Postremo arcus aureus tenuis disco additus esse videtur, qui actuariola solaris habebatur, quae ex Aegyptiis vel Minois imaginibus nota est. Hoc supplementum verisimile non ad calendarium pertinet, sed fortasse transvectionem nocturnam solis ab occidente in orientem exprimit.

Ex his apparet fabricator huius disci egregias scientias de astronomia et

mathematica et exquisitam cognitionem mechanicae corporum caelestium habuisse. Hominibus iam aetatis aerae (1) in Europa media tales scientias fuisse plerique investigatores nostri temporis adhuc non existimabant.

Discus Nebrensis Basileae in museo historico est, ubi in expositione titulo 'Caelum procusum' (Der geschmiedete Himmel) inspici potest.

- 1) aetas aerae
- 2) gradus latitudinis

Bronzezeit  
Breitengrad

Daniel Weissmann

### Ad legendum (CD-ROM)



Scientiae naturales  
Chemia  
DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM  
(Stutgardiae a.1786)

Caroli Friderici Kielmeyeri (1765 - 1844), per-

scrutatoris naturae sua aetate clarissimi, a Goethe praedicati, dissertatio inauguralis hic primo proponitur editione moderna et Latino-Theodisca. Kielmeyeri describit duorum fontium mineralium analysin aquae chemicam rigore systematico instructam tractatque eorundem usus medicos. Vocabula Kielmeyeri specialia partim adhuc alchemistica partim theoria phlogisti exorta, quae sunt difficilia intellectu, in hac editione fuse explicantur. Versio theodisca continet terminos technicos aetate Kielmeyeri adhibitos, qui in commentario comparantur cum notionibus chemiae modernae.

Omnibus, qui cupiant cognoscere historiam scientiarum naturalium, praesertim chemiae analyticae, necnon iis, qui indagare velint vitam opusque excellentis viri docti Theodisca aetate romantica florentis, hoc opusculum Latino-Theodiscum est cimelium emptione dignissimum.

CD 66 paginae, datotheca pdf

ISBN 3-938905-20-4

pretium 28,00 EURO

[www.leolatinus.com](http://www.leolatinus.com)

Subnoto RV, ut ipse accipiam  
(Ich abonniere RV für mich selber)

\_\_\_\_\_

\_\_\_\_\_

\_\_\_\_\_

Subnoto RV DONO DATUM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RV als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist): -----

Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an):

\_\_\_\_\_

\_\_\_\_\_

Ort, Datum: \_\_\_\_\_

Unterschrift: \_\_\_\_\_

Hier bitte frankieren

RVMOR VARIVS  
C/o EDITIONS ECLECTICA  
Estelle GITTA  
Ch. F.-Lehmann 2  
1218 Grand-Saconnex

PP/Journal


1218 Le Grand-Saconnex



5 + 6/2006

IDIBVS DECEMBRIBVS

MMVI



TOMVS 28

FASC. 161